

mam, quæ se ejus culturæ permittit, uti testatur S. Chrysost. ho. XXXI. in Joan. « Tamquam hortum virentem, inquit, et semper florentibus arboribus comantem, ita promptam animam disponit (Spiritus sanctus) ut nulla anxietate, nullis Satanæ insidiis distrahi sinat, sed omnia ardentia malitiæ tela extinguat. » Itaque ab Ecclesia et cujusque anima extirpare imprimis vitia conatur per frequentem usum sacramentorum, per censuras et adhortationes: deinde, implantare virtutes nititur et primorum Christianorum avitam pietatem revocare, vel saltem nobis inculcare, ut intelligamus quam longe recesserimus a majorum nostrorum fide, zelo et fervore. Rursum concessis crebro indulgentiis plenariis hortulum impinguat provocando fideles ad penitentiam et bona opera. Ad hæc certis temporibus instituit visitationes et reformationes abusuum introductorum; excitat et instituit novos religiosorum cœtus quasi pulcherrimas florum areolas, ut per eos incitet ad novum virtutis amorem etiam sæculares. His ergo et similibus modis Ecclesiam communit et disponit, ut nullis Satanæ insidiis cedat, sed sit hortus conclusus uti canit sponsus, Cant. IV.

X. Quid in mundo Spiritus sanctus? Quod in ovili est ostiarius, uti legimus in hodierno evangelio, et de Spiritu sancto exponit Theophylactus, ne non D. Augustinus. Ergo sicut ostiarius non obvios quosque intronmittit in ovile, sive homines, sive pecora, sed pastorem legitimum et oves tantum ab ovile spectantes: ita Spiritus sanctus advigilat Ecclesiæ ostio, ut non quosvis pastores in eam admittat, sed ab Ecclesia approbatos et idoneos post acceptam a magistratu ecclesiastico jurisdictionem, quod nequaquam observari potest apud hæreticos, cum non habeant episcopos seu Magistratum ecclesiasticum. Ad hæc attendit etiam catholicis, et idoneis alioqui sacerdotibus, ut cum Simone illo sancto in spiritu veniant in templum; non per fraudem, vim, vel simoniam invadant pastoralia munera aliasque ecclesiasticas dignitates. Tales enim acerrime plectit, et cum potest, statim exturbat, atque a fidelium communione segregat per anathema.

Nihilominus observat etiam Spiritus sanctus cæteros quando Ecclesiam ingrediuntur per baptismum, ut ne, si adulti sint, rudes et ignari, sed prius in fide bene instructi suscipiant baptismum, ut absit fictio et dolus, ut habeant susceptores, qui pro eis eorumque in fide constantia atque obedientia spondeant, etc. Denique, ad fidelium quorumvis ostium, quod est cor illorum, excubare solet, eosque suaviter monere; uti ne pulsanti ad ostium Christo (velut um eos ad penitentiam, ad religionem, vel

præclarum aliquod virtutis opus vocat) fores oppressulare velint, sed diabolo tantum ocludant ad malum provocanti. Christus sane per os Joannis, Apoc. III. ait. *Ego sto ad ostium ei pulso: si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo et ipse mecum.* Ex quibus verbis patet, in potestate hominis esse aperire Christo et non aperire. Ergo Spiritus sanctus sedulo adlaborat, ut persuadeat fidelibus ne excludant sponsum suum, sed cum sponsa dicant: *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo,* Cant. V. Memor illius cœnæ, quam una cum sponso percipiet partim hic per gratiam, partim ibi per gloriam, quam nobis impertiat ostiarius cœli, Spiritus sanctus cum Patre et Filio.

CONCIO II.

MEDIA AD CHRISTIANAM PERFECTIONEM INSPIRATA A SPIRITU SANCTO PRIMIS CHRISTIANIS.

I. Verbi Dei sincerus auditus. — II. S. communio digna et frequens. — III. Assidua oratio. — IV. Abdicatio honorum. — V. Solitudo et mentis recessus. — VI. Eleemosyna. — VII. Gaudium spirituale.

THEMA.

Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Joan. X.

Quam diversi, quam contrarii sibi, auditores, sunt Spiritus sanctus et spiritus malus! Spiritus malus impulit filios Noe, primos post diluvium homines ut turrim vanitatis sibi ædificarent, cujus culmen usque ad cœlum pertingeret, non quo in cœlum ascenderent, sed quo nomen sibi in terra facerent, adeoque per superbiam recta in orbem descenderent, Gen. XI. Spiritus vero sanctus filios Christi impulit, primos post dominicæ passionis diluvium Christianos, ut turrim perfectionis christianæ sibi ædificarent, cujus culmen ad cœlum, hoc est, ad angelicam sanctitatem proxime accederet, non quo sibi nomen in terra facerent, sed quo per humilitatem usque ad cœlum et cœlestem beatitudinem scanderent. Quantum igitur turris illa Babel, turris vanitatis displicuit Domino Deo, tantum hæc Christianorum turris sanctitatis placuit eidem. Quare in structura illa confudit Deus linguas hominum, et unam omnium dissecuit in diversas, ut nemo alterum intelligeret: in hac vero e contra omnium pene rationum linguas inter se diversissimas adeo univit, et in unum quodammodo os concessit, ut omnes se mutuo intelligerent. Ibi civis civem, propinquus propinquum minime intellexit; hic peregrinus peregrinum quasi concivem suum optime intellexit: ibi qui in unum congregati erant, dis-

persi sunt per orbem in varias nationes; hic qui prius dispersi erant, congregati in unum Ecclesiæ ovile et fidei communionem: ibi vanitas et superbia hominum turrim quam inceperant, reliquit imperfectam; hic fides et humilitas credentium turrim sanctitatis cœptam perduxit usque ad altissimæ perfectionis culmen. Unde S. Gregorius, hom. XXX. super evangelium, quæ est, in fest. pent. ait: *Qui contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem unius linguæ perdiderunt. In his autem qui Deum humiliter metuebant* (primis Christianis scilicet) *linguæ omnes unitæ sunt. Hic ergo humilitas virtutem meruit, illic superbia confusionem.* Atque hæc est contrarietas, hoc est discrimen Spiritus sancti et spiritus mali, quod depingit Dominus in hodierno evangelio, cum de se quidem et Spiritu suo ait: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant,* hoc est, non solum ut per gratiam vivant, sed ut vitam vivant perfectam omni virtutum genere et Spiritus sancti donis exornatam. De spiritu vero malo ait: *Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat.* Sed nos relicto jam fure ejusque assecis, contemlemur Spiritus sancti structuram in primis Christianis eorumque perfectionem.

Quid in primis illis Christianis operatus sit Spiritus sanctus recens illis datus, legimus, Act. c. II.

I. *Erant perseverantes in doctrina apostolorum,* sed qua ratione? Eam audiendo, ruminando et meditando, in opus redigendo sibi applicando. Hæc enim tria inculcat Deus Hebræis imprimis, Deut. VI. cum per Moysen ait: *Erunt verba mea in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos.* Ergo qui perfectionis christianæ turrim vult extruere, fundamentum in anima sua ponat Dei verbum; idque primo, sedulo audiat non aure corporis tantum, sed et cordis. Propterea enim tabulæ legis Moisaicæ in arca fœderis asservabantur, III. Reg. VIII. quia Dei verba maximo studio asservanda velut verba vitæ æternæ sunt. Deinde, sæpe ea ruminet ac repetat partim secum, partim cum aliis, liberis præsertim ac subditis, si quos habeat: *Narrabis ea filiis tuis,* inquit Moyses, Hebraice habetur: *Acues ea,* q. d. iterabis et sæpius repetes, quomodo culter acuendus crebro affricatur coti. Unde subdit: *Et meditaberis in eis sedens, ambulans, dormiens atque consurgens.* Neque hic sistendum, sed opere etiam implenda sunt Dei verba, unde subjicit Moyses: *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos.* Quid vero est manui

alligare Dei verba nisi opere ea implere? Quid ponere inter oculos, nisi ad ea velut ad regulam et exemplar conformare gressus et actus suos? Sicut enim qui in alto mari navigat, si nolit a via aberrare, ad acum nauticam recurrit eamque semper quasi præ oculis habet: ita voluit Deus proponi nobis verbum suum, ne a salutis itinere deflectamus. Unde David ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* Ps. CXVIII. Bonorum itaque Christianorum est verbum Dei esurire, et cum gustu capere: libenter de rebus salutis loqui, prompte obedire Spiritui sancto, et velle dirigi, moneri, corrigi a viro spirituali. Quæ si quis in se experiat, is signum habet inhabitantis in se Spiritus sancti. Nam: *Uti esurire,* inquit D. Chrysostomus, hom. XIV. in Gen. *signum est valetudinis in corpore sic amare divina eloquia, indicium maximum sanitatis in anima.* Rursum sicut ignis ceram emollit et tractabilem facit, atque ad omnium rerum ac sigillorum formas recipiendas disponit; ita Spiritus sanctus habitans in homine disponit eum ad recipiendum Dei verbum, eique obediendum.

II. *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis,* hoc est, in sacræ eucharistiæ communione, quæ etiam ab apostolo et ss. patribus vocatur *fractio panis et communiō,* tum quia est communis mensa omnium fidelium, tum quia in ea unum et eundem panem in individuo omnes comedimus, quod in aliis cibis non fit; tum quia per eam inter nos et cum Christo unimur. Alterum ergo animæ nostræ pabulum, quo mirum in modum crescere et proficere ad sanctitatem possumus, est frequens et perseverans usus s. eucharistiæ. Quemadmodum enim panis corporalis restaurat et roborat vires corporis, et quomodo lignum vitæ in paradiso vitam hominibus perpetuo conservasset, si tamen sæpius de eo gustasset: et quemadmodum Hebræos in deserto cœleste manna semper refecit, et perduxit tandem ad terram promissam; ita et eucharistiæ frequens ac dignus usus vitam hominibus conservat spiritualem, et præterea eosdem roborat, et saniores ac sanctiores semper facit, tandemque ad perfectionis apicem et vitam lacte et melle manantem promovet. Pulchre de hoc profectu vaticinatus est Oseas, capite XIV. *Ero quasi ros Israel,* (ita per ipsum loquitur Deus) *et germinabit sicut liliū, et erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani: vivent frumento.* Quæ omnia de eucharistia intelligit Cyrillus Alexandrinus, in comment. super Oseam. Ros ergo eucharistiam denotat; siquidem manna (eucharistiæ typus) ad instar roris concreti, imo ut Hebræi tradunt, una cum manna nos de cœlo descendit. Sed

quid boni ex illo rore percipiet Israel seu Ecclesia? Primo: *Germinabit sicut liliū*, id est, mirifice crescet puritate et candore vitæ, cavendo ab omni peccati inquinamento: secundo: *Erumpe radice ejus ut Libani*, id est, jacet profundas virtutum radices, ut non facile evelli vento tentationum queat: tertio: *Ibunt rami ejus*, id est, proficiet augmento gratiæ uti docet Concilium Florentinum et Tridentinum, sess. XIII. cap. II. quarto: *Erit quasi oliva gloria ejus*, id est, replebitur donis et pinguedine Spiritus sancti: quinto: *Erit odor ejus ut Libani*, quia fragrantiam odoris et sanctitatis emittet etiam ad alios: denique: *Vivent frumento*, Septuaginta vertunt: *Bibent et confortabuntur tritico*, vel ut S. Hieronymus id exponit: *Bibent et inebriabuntur tritico*. Quis vero est ille panis, qui inebriare potest? Utique mysticus tantum, adeoque eucharistia. Hæc non vitam tantum, sed et robur ac profectum, tandemque ipsam perfectionis ebrietatem confert homini, digne eam frequentanti. «Videbitur ista ebrietas (inquit D. Augustinus super id. *vinum latificet cor hominis*, Ps. CIII.) in operibus vestris, videbitur in sancto amore justitiæ, videbitur postremo in alienatione mentis vestræ, sed a terrenis ad cælum.» Inde ad extremum fit, ut homo totus, quasi alius a se fiat et in Christum transformetur, juxta id Augustini: *Non me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.*

III. Perseverabant etiam in orationibus. Præclarum etiam hoc medium est proficiendi ad perfectionem. Cum enim sanctitas et perfectio magnum ac rarum Dei donum sit, una cum conatu virtutum oratio adhibenda est, seria et frequens, qua a Deo impetretur. Ipsa enim est quasi corona Olympica in certamen proposita, quæ (ut scribit Petrus Faber, l. II. agonistici, cap. XXVII. in alto suspensa, incitato quam occisime cursu manibus corripiebatur. Manibus ergo e cælo detrahimus hanc coronam, cum frequenti et ferventi oratione manus ad Deum tendimus, et mendicorum instar clamamus, obsecramus, pulsamus. Scimus ex Luca, cap. XI. non statim exauditum fuisse qui ab amico suo petiit tres panes, sed diu foris stetisse, diu multumque fores pulsasse donec impetrarit. Quid vero tres illi panes, nisi trium statuum tres profectus? Primus est incipientium, secundus proficientium, tertius perfectorum. Ergo qui tam grandia bona, tertium præsertim, querit, profecto in orationibus cum primis illis Christianis perseverare debet. Et propterea Dominus ad finem illius parabolæ hortatur: *Et ego dico vobis: Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis.* Petimus orando, quærimus meditando et divina mysteria investigando, pulsamus lacrymando et sus-

pirando, unde Tobias quando cœpit orare cum lacrymis exauditus est a Deo, Tob. XII. et III. Ubi glossa interlin. ait: *Oratio Deum lenit, lacryma cogit: hæc ungit, illa pungit.* Ego qui in statu incipientium vult excellere, oret: qui in statu proficientium, quærat meditando: qui in statu perfectorum, pulset lacrymis et suspiriis.

IV. Omnes qui credebant: *Erant pariter, et habebant omnia communia, possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus prout cuique opus erat.* Pariter quidem erant, tum quia statis horis ad concionem, communionem, orationem conveniebant, et animo conjuncti erant. Communia vero omnia (fortunæ bona, non uxores) habebant ad modum cœnobarum: (hinc enim vox cœnobii, id est, communis.) Nemo quidquam suum esse dicebat. Tales etiam sub S. Marco erant Christiani Alexandrini, ut testatur S. Hieron. de vitis illustribus in Philone, cum ait: «Talis primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil usquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimoniam egentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis doctrinæque es continentia, quales et Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes.» Atque hinc orta est vita religiosa eorum, qui primævam fidelium vitam æmulari conabantur, quam post trecentos annos instauravit in Egypto Antonius, in Græcia Basilus, in Africa S. Augustinus, in Syria S. Hieronymus, postea S. Benedictus in Italia, etc. Porro hæc paupertas magnum affert subsidium ad consequendam perfectionem, tum quia evertit cupiditatem, quæ est causa omnium malorum; evertit: *Meum et tuum, frigidum illud verbum*, quod est causa omnis discordiæ, ut ait S. Chrysostomus; tum quia avocatur a terrenis opibus et deliciis liberatque a mille curis et distractionibus, adeoque facit hominem liberum, et expeditum ad amandum et colendum Deum, siquidem: *Amor rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum*, inquit D. Augustinus. XXXIII. de verb. apostol. tum quia hominem Christo pauperi assimilatur, similitudo autem causatur amorem.

Cæterum non est omnium hanc perfectionem imitari; deest tamen Christianum eam æmulari, et imprimis dolere, quod primævos Christianos assequi non possit; deinde, in quoetumque statu degat, superflua resecare, ne plus è mundi bonis sumere, quam quæ sunt necessaria, adeoque ea delibare tantum, quemadmodum canes e Nilo bibunt, modice et raptim, ob venenata animalia, quæ sub aquis ejus latitant; ne cor terrenarum rerum cupiditate et inordinato amore capiatur.

V. Erant: *Quotidie perdurantes unanimitè in*

templo. Præclarum etiam hoc perfectionis medium est, abstrahere se a mundi negotiis, et conferre se ad templum, vel saltem in cordis solitudinem et cum solo Deo loqui. Quod imprimis ad primorum Christianorum imitationem faciunt cœnobitæ et pii sæculares, qui omne tempus quod a negotiis liberum habent, in templo orationi, lectioni et concioni impendunt, vel certe domi in oratorio suo, aut alio recessu mentem ad Deum colligunt; ubi ad Dei amicitiam et singularem quamdam familiaritatem, ex qua non solum magnas accipiunt consolationes, verum etiam multa arcana edocentur, paulatim perveniunt, ut promittit eis Dominus, Osee II. *Ecce ego lactabo eam (animam) et queam eam in solitudine et loquar ad cor ejus*, quasi dicat: Sicut sponsus cum sponsa remotis arbitris, sincerissime et blandissime cum ea agam, consolationibus demulcebo, mentem illustrabo, voluntatem ad mei amorem inclinabo, ita ut non solum intellectus videat me, sed voluntas etiam degustet, indeque terrena omnia spernat. Atque hæc est schola, in qua divinus ille magister instruit animas nostras, et in qua brevi tempore plurimum facere profectum possumus, templum, inquam et mentis solitudo. Hic nidus, in quo adolescunt, et plumis vestiuntur pulli Christi quousque ad amorem Dei super omnia, et contemptum rerum terrenarum evolent, ut docet S. Gregor. lib. XIX. mor. c. XXIV. super id Job XXIX. *In nidulo meo moriar.* Non solent ciconiæ vel aves aliæ nidificare supra molendina, propter continuum strepitum, solitaria et pacata loca querunt. Pari modo qui profectum spiritus querunt, subducere se debent a tumultibus et negotiis sæcularibus, juxta monitum Ecclesiast. XI. *Fili, ne in multis sint actus tui.* Quæta loca ament, vel subinde saltem ad quietem mentis se recipiant. Id quod etiam Seneca vidit, qui dixit: *Nemo unquam perveniet ad bonam conscientiam, qui præter modum occupatus est.* Ideo S. Franciscus in regula præcipit fratribus suis, ut laborent quidem, sed ita, ut ne tantæ sint occupationes et exercitia, quibus spiritus orationis opprimatur.

VI. *Frangentes circa domos panem*, q. d. distribuabant egentibus per domos victum necessarium, ut exponunt Lyranus, Cajetanus et Dionysius Carthus. Multum etiam promovet eleemosyna ad perfectionem, nam et terrenarum opum contemptum parit, et Dei amorem sibi conciliat. Audiamus Isaiam, c. LXXXV. loquentem: *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Quis vero hujus misericordiæ fructus? Tunc erumpet, inquit, quasi mane lumen tuum, (Hebr. sicut au-

rora) quasi dicat: Miro modo illustrabitur et implebitur anima cœlesti quodam lumine: *Et sanitas tua citius orietur*: sanitas inquam animæ et voluntatis, quæ abstergit omnes affectus pravos et cupiditates, facitque hominem perfectum. *Et anteibit faciem tuam justitia tua*, q. d. justitia et perfectio illa perducet te ad vitam æternam; unde subdit: *Et gloria colliget te*, hoc est, proteget te ad hostibus animæ tuæ, sicut olim media nube protexit Moysen fugientem ad tabernaculum, cum lapidare eum Judæi vellent. Audiamus S. Chrysostomum, hom. XXXII. in epist. ad Hebr. «Eleemosyna, inquit, vincula peccatorum dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem, mortificat vermem, expellit stridorem dentium. Huic eum multa fiducia cœli aperiuntur, et veluti regina intrante, nullus custodem, qui portis assistunt, audet dicere: Quæ tu es? Vel unde? Sed omnes eam è regione suspiciunt, sic etiam misericordia. Regina namque est, vero regina similes faciens hominibus Deo.» Sicut ergo aurora solem: ita eleemosyna præcedit misericordes, parans eis iter ad perfectionem, deinde ad gloriam.

Neque dubium esse potest, quin primi illi Christiani ad eleemosynam adjunxerint corporis castigationes, veluti jejunium, quo proprio ori detrahebant, quæ indigentibus erogarent.

VII. *Sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum.* Non metuebant jam Judæos sibi insultantes, sed confisi in Deo et bona conscientia sua, peracta sacra communionem, celebrabant agapes, seu commune epulum, ad quod invitabant egentes et lætabantur in Domino, tum ob perceptam fidei gratiam, tum ob susceptam eucharistiam, tum denique ob internum conscientia gaudium, quo testabatur eis Spiritus sanctus se esse filios Dei: *Nul- lum enim majus signum inhabitantis Spiritus est, quam lætitia spiritualis*, inquit D. Bernardus: rursum: *Secura mens quasi juge convivium*, ait Sapiens, Prov. XV. Hinc: *Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum*, Psal. CXVII. Quisquis igitur perfectioni studet, gaudium hoc cordis in omni opere bono, velut clavum navigii semper ad manum habeat, cogitans navarchum suum esse Deum; ab illo pendeat, illi se committat, quemadmodum S. Raymundus cappæ suæ velut navi insistens, seapulari tamquam velo, baculo tamquam remo usus mare trajecit, securus de divino præsidio. Gaudium hoc olim commendavit Deus etiam Hebræis, Deut. XII. eum per Moysen eis præcepit: *Comeditis ibi (in atrio eorum tabernaculo) in conspectu Domini Dei vestri, ac lætabimini*: non utique profano, sed spiritali gaudio, quod oritur ex fiducia in Deum, et desinit in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo

perceptis, quæ est opus angelorum et beatorum omnium, quod inchoant hic perfecti viri.» Nihil enim ita proprie, inquit S. Bern. serm. XI. in Cant. quemdam in terris repræsentat cælestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, dicente Scriptura: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.» Quam laudem utinam hic inchoemus, et ibi in perpetuum canamus!

CONCIO III.

QUIBUS EX CAUSIS FERRE CONTEMNATUR MAGISTRATUS.

- I. Quando ipse contemnit Deum et suos superiores. — II. Quando ipse contemnit subditos. — III. Cum non præit homo exemplo. — IV. Cum non audeat punire delinquentes. — V. Cum se nimis familiariter præbet subditis. — VI. Cum est obligatus subditis. — VII. Cum reipublicæ est inutilis. — VIII. Cum suam auctoritatem non tuetur.

THEMA.

Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo.
Joann. X.

Salvam atque inviolatam debere esse principum, prælatorum, ac quorumvis magistratum auctoritatem sacræ monent litteræ, auditores. Scimus veteri in lege Saulem divino suffragio in regem fuisse electum. Verum cum rebelles aliquot subditi eum despexissent quasi indignum sceptro, nec de more attulissent ei munera, dicerentque: *Num salvare nos poterit iste?* 1. Reg. X. Videte quid egerit Deus, ut electo regi conciliaret auctoritatem. Factum est post mensuram ut Naas Ammonites premeret Hebræos habitantes in Jabas Galaad, nec aliter in fœdus recipere vellet, nisi erueret omnium dextros oculos. Quo audito Saul sequens boves de agro, repente correptus a spiritu Domini, et iratus concidit utrumque bovem in frusta, misitque in omnes terminos Israel, nuntians: Quicumque non exierit ad prælium cum Saule contra Ammonitas, sic futurum bobus ejus. Venerunt ergo Hebræi ad Saulem, qui invasit hostem, et concidit atque dispersit ita, ut ne duo quidem simul remanerent. Parta igitur hac tam insigni victoria, tantam ei auctoritatem conciliavit Deus, uti diceret populus: *Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros et interficiemus eos.* 1. Reg. 1. Videmus igitur Dei suffragio conservandam esse magistratibus debitam auctoritatem quas Dei ministris: et periculose eos contemni, qui a Deo constituti sunt rectores. Cæterum qua sæpenumero rectores ipsi in causa sunt, cur a subditis spernantur, idcirco ipsis advigilandum est, ne auctoritatem suam culpa sua perdant; id quod indicat Dominus in evangelio

hodierno, cum ait de pastore improbo et illegitimo: *Alienum autem non sequuntur (oves) sed fugiunt ab eo.* Et propterea apostolus cum instituisset duos episcopos, Timotheum Ephesi, et Titum Cretæ, utrique serio mandavit, uti suam auctoritatem sartam tectam servarent, nec vitio suo contaminarent: Timotheo scribit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* 1. Tim. IV. Tito vero: *Nemo te contemnat.* ad Tit. II. q. d. vobis hoc mando, non ovibus vestris, quia in vobis sita est conservatio auctoritatis et contemptus vester. Ergo videamus causas, quæ multoties faciunt contemni magistratum.

I. Contemptus est, quando ipse contemnit Deum et superiores a Deo sibi datos. Quemadmodum enim Adam quamdiu in paradiso subjectum se exhibuit Deo, tamdiu omnibus animalibus summa auctoritate imperabat; ast ubi Deo se rebellem præbuit, illico rebelles etiam sensit bestias: ita magistratus dum obedit Dei mandatis et suorum superiorum, habebit absque dubio obedientes et addictos sibi subditos. At cum incipit ipse se subtrahere ab obedientia, tum subtrahunt se et subditi ejus, eique insultant atque illudunt. Patet in Saule, de quo diximus initio. Is enim dum mandatis Dei paruit, salvam habuit auctoritatem suam, sed postquam prævaricatus est, amisit auctoritatem non modo coram Samuele, sed etiam coram populo. Tunc enim recessit ab eo spiritus bonus, et invasit eum spiritus malus et crebro eum vexavit. Mulieres etiam egressæ cum choro Davidem Sauli præferunt: *Percussit Saul mille, et David decem millia.* Æqua cantilena spreto se agnovit Saul, suumque regnum in periculo esse, 1. Reg. XVIII. Quare ad extremum non sine mysterio suoapte gladio incubuit desperans et interiit, quia sicut ipse abiecit Deum et sermonem ejus, ita abjectus est a Deo, uti dixerat ei Samuel, 1. Reg. XV. Unde bene S. Ambrosius, 1. V. ep. XXXIII. scripsit Valentiniano imperatori: *Si vis diutius imperare, esto Deo subditus.*

II. Quando ipse contemnit subditos. *Scitum est istud Domitii,* inquit S. Hieron. ep. ad Nepotian. *Cur ego habeam te ut principem, cum tu non habeas me ut senatorem?* Et illud Crassi apud Ciceronem, 1. III. de oratore dicentis: *Non esse sibi consulem cui ipse non esset senator.* Edoctus hoc est malo et interitu suo Julius Cæsar, qui cum nimium insolesceret arrogantia, adeo ut universos patres conscriptos cum plurimis honorificentissimisque decretis ad se venientes, sedens pro æde Veneris exciperet: conflata in eum invidia et conjuratione facta a sexaginta amplius senatoribus equitibusque Romanis in Pompeii curia viginti tres vulneribus confossus occubuit, teste Sueton. Hinc non immerito laudata est

Agastis Lacedæmoniorum regis sapientissima vox: *Posse quemvis sine satellitio regnare, qui sic subditis imperaret, ut filiis pater.* Plut. in apophtheg. Id quod etiam S. Hieron. desideravit in Joanne Hierosolym. episcopo ad Theophilum contra ejus errores scribens: «Aut quasi pontifex cunctis æqualiter imperet, aut quasi imitator apostoli universorum salutem ex æquo serviat: si talem se præbuerit, ultro præbemus manus:» et rursus: *Patres se sciant esse, non dominos.* Multos metuat oportet, quem metuunt multi, Unicus plebei hominis contemptus Scipionem ab ædilitia dignitate repulit, quando manus ejus callosas sentiens interrogavit: *Utrum manibus an pedibus ambulasset.* Inde enim plebei, veluti contemptui habitus omnium odium in Scipionem concitavit, asserens plebem ab eo ludibrio haberi, Tymp. in spec. mag. signo LXXXII.

III. Cum non præit bono exemplo subditis, sed male insuper vivit. Nam ut S. Aug. 1. IV. de doctrina christ. c. XXVII. ait: «Habet ut obedienter audiatur quantacumque gravitate dictionis majus pondus vita loquentis.» Et contra: «Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur,» inquit S. Greg. ho. XII. In evang. Propterea apostolus cum Timotheo scripsisset: *Nemo adolescentiam tuam contemnat,* statim subiicit medium: *Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate,* q. d. si tale exemplum ovibus tuis præbueris, nemo te contemnet; alioquin certo certius fabula subditorum eris. Sane in hodierno evangelio Dominus de bono pastore ait: *Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit,* bono scilicet exemplo, statimque subdit: *Et oves illum sequuntur.* Hærent contra et sibi imponi a pastore existimant, cum viam quidem monstrantem, sed non præeuntem vident: *Plus enim,* inquit Seneca, *homines, oculis quam auribus credunt.* Ac si quidem magistratus tales corripere delinquentes velit, mox audiet ab illis: *Medice, cura te ipsum.* Et, vel justum est, quod sancivit tua dominatio et a me prætermisum, vel injustum: si injustum, cur punire cogitat eo nomine, quasi injuste egerim? Si justum, cur non id ipsum et agit? Num aliter eam vivere, quam juste et secundum leges decet? Atque hinc confusi turpiter Scribæ et Pharisei, cum a Christo audierunt: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam (adulteram) lapidem mittat,* subdlexerunt se e templo, *unus post unum,* quasi recentem alapam accepissent: quia se ipsos reos esse a Christo dicerunt, Jo. VIII. Moyses etiam cum percussorem proximi redargueret, ubi ab eo addidit: *Quis te constituit principem et iudicem super nos? Num occidere me vis sicut heri occidisti Ægyptium?* nihil amplius moliri vel conradicere ausus est, sed timuit ac fugit, Exod.

II. Vidit hoc etiam Antoninus imperator ethnicus, qui legem tulit, ne maritus adulteri accusare posset uxorem, si ipse impudice viveret, quam ut æquissimam laudat S. August. II. de adulter. conjug. cap. VIII. apud Baron. anno 161. Periniquum enim est eo nomine aliquem accusare vel punire, quo quis ipsemet deliquit.

IV. Cum non audeat punire delinquentes. Hinc enim magistratus seu iudex habetur pro idolo et stramineo terculamento, quod accendit avibus statuitur in agro, et tandem sine pavore ab eisdem insidentibus conspurcatur. Cujusmodi magistratum in vindictam promittit Deus Hebræis, Zachar. XI. pastorem, inquam, stultum, subditque: *O pastor et idolum, derelinquens gregem! Gladium super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus.* Vult dicere, ut opinor: Brachium quidem gladium gestat, et in ejus aspectu sibi placet, verum evaginare eum et in fontes exerere non audeat; quo modo de Cretensium duce Theutide dixit Themistocles, minime eum timendum Atheniensibus: *Siquidem haberet quidem gladium ad jugulandum, sed non cor ad evaginandum.* Spernitur vel a pueris frigidus magister, qui præclara quidem dat latinitatis præcepta, sed non urget ut ea discipuli scribendo loquendoque teneant. Leges instar mœnium sunt, continentes populum intra fines rationis; quis autem nescit piaculum esse mœnia perfodere, evertere aut transilire? Multo ergo minus tolerari debet, ut leges impune violentur: *Quia absque legibus nullo pacto potest civitas esse incolumis, absque manibus potest, uti dixit Heraclitus Ephesius.* Quocirca Carolus M. gladii sui capulo, cui insignia ejus insculpta erant, edicta sua signabat: *Quod ejusdem esse diceret, et confirmare et defendere leges.* Refert Ægid. Corozetus, de dictis memor.

V. Cum se nimis familiarem præbet suis subditis. Notum enim id Apulei de deo Soocr. *Parit conversatio contemptum: raritas conciliat ipsa rebus admirationem.* Idem docuere veteres fabula illa vulpis, quæ primo conspicata leonem, ita extimuit, ut pene exanimaretur. Prodiit secundo in ejus aspectum leo, et minus jam trepidare vulpes. Prodiit et tertio, tum nihil jam amplius metuens accessit vulpes et salutavit eum. Ita nimirum principum et aliorum rectorum auctoritas nimia familiaritate vilescit. Quare Pericles ille Atheniensis, prius maxime comis ac familiaris, ubi reipublicæ administrationem suscepit, ab omni cœtu amicorum et conviviis se abjunct. Rationem addit Plutarchus: *Comitas enim facile fastum omnem atterit, et in familiari consuetudine ægre custodias illud opinionis de te augustum.* Hinc etiam Persarum reges a conspectu vulgi sese removebant, et rarissime sui vivendi aut alloquendi copiam faciebant, ne